DE D. IUONE PAUPERUM PATRONO ORATIO HABITA IN EIUSDEM TEMPLO AD S.R.E...

Giacomo Ruffini

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISS. ET REVERENDISS.

PRINCIPI

GASPARI

CARD. CARPINEO

SS. D. N. VICARIO.

IACOBVS RVFINVS SEM. ROM. CLER.

INIVRIAM purpuræ tuæ facerem, ſi cauſas exponerem, quæ me ad inſcribendam nomini tuo Diui Iuonis Laudationem inuitarunt: Quem enim lateat ſacram eſſe, & addictam ſanctitatis Patro-

Digitized by Google

cinio Purpuratorum Principum conditionem? Hinc laudata Sanctitas in tuum ſe recipit ſinum, vt latius altiori de faſtigio ſuæ virtutis lucem diffundat, in hac vrbe precipuè, in qua cum vicariam ſummi Sacerdotis poteſtatem exerceas, tuo veluti iure ſanctitatis gloriam promoues: Hiſce nominibus te tanquam Purpuratum Patrem adit Oratio mea. Erat & aliud nomen, quo illam tibi ſiſterem dicaremque, probata nempe tibi per tot annos Patrui mei ſeruitus, ſed prætereo quamquam glorioſum mihi, ſufficitque indicaſſe, ne ingratum crederes: Vale:

Digitized by Google

ORATIO.

CVm Populorum conſenſus aliqua gloriæ notà poſteritati commendatum IVONIS nomen cuperet; in tanta, qui obijciebantur, titulorum copia, pependit animi dubius, quem potiſſimùm illius inſcriberet imagini, quæ non ex ære, aut marmore, ſed virtute & rerum famâ in animis hominum,

Digitized by Google

in æternitate temporum durabit: Occurrebant IVONIS virtutes, certabantque in tanti nominis ambitu: Huius illuſtrandi gloriam ſibi vindicabat in primis iuge precandi ſtudium; ſeptem ab hoc ſolidi dies in aciem educti, quos operatus precibus heros noſter, inſomnis, impaſtuſque traduxit: Parùm fuit, quin virtus hæc Deum Cœliteſque exorare conſueta, iudicum animos exoraret: Sed inſcribentium iam dexteram arripuit, inhibuitque fortitudo, quæ ſuo veluti iure totum ſibi depoſcebat IVONEM: Hæc iudicantium animis vigilatas pijs laboribus noctes, defunctos puluinaris munere lapides, exhauſtum ieiunio, flagrorumque grandine verberatum IVONIS corpus obiecit: Placuit virtus hæc Iudicibus, quos delectatione de ſinu horroris naſcente perculit: Verùm quin legeretur in titulum, ſua fortitudini venuſtas obſtitit; Defixos namque ſtupore Iudices occupauit morum candor, qui hoc ipſo in IVONE præfulgebat, quòd in ſæculi ſui corrupte-

la non videbatur: Integram ſcelerumque puram oſtentabat Herois iuuentutem, quamuis educatam in ſinu, & indulgentia publicæ academiæ, vbi plerumque licentia ſpecie libertatis graſſatur, & iuuenilis alacritatis nomine verecundiam exuere vel crimina didicere: Addebatur huic ſpectaculo virilis eiuſdem ætas, quam ità in Iudicis officio traduxit, vt lites dirimeret, non foueret, Iuſtitiam retineret, non venderet, ſentirentque cuncti, nuſquam minus peſſimam cauſam valere, quam apud optimum Iudicem: Hic verò victam à morum integritate cauſam crederes; Quis enim pro miraculo non habeat, inuentum iuuenem, cui virtutis florem inter peccantium illecebras ætatis flamma non aduſſerit, inuentum Iudicem, qui ius, & fas non pretio vendiderit, ſed emerit potentium periculo ſimultatum: Viſa quidem hæc illuſtris, & magnifica nobilem ad titulum materia, & fortè legeretis nunc etiam poſteri inſcriptum IVONIS imagini ſplendidum,

in-

integri, & iuſti nomen: Sed ſuas in partes traxit Iudicum animos paupertas; quæ Patroni ſui gloriæ patrocinabatur: Diſertam hanc, ſed non loquaciter diſertam ſuſpexere Iudices in hunc fermè modum perorantem: Quid Heroi noſtro præclarius ad famam, perennius ad gloriam, quam appoſitus illius nomini titulus, IVO Pauperum Patronus? plus hic intelligitur, quam ſcribitur: Non ne vobis titulus iſte laudum omnium compendium. Videtur? ſi precandi ſtudium deſideras, IVONEM pro Pauperibus fudiſſe perpetuas homini Deoque preces intelligis; ſi fortitudinis laudem, hanc ex eo cognoſcis, quod paupertatem opportunam odijs, opportunam iniurijs, ludibrijsque defenderit: Num illibatum in eo iuſtitiæ candorem requiras, quem corruptum potentium diuitumque donis minimè ſuſpiceris? Quod ſi Mira eſt innocentiæ paupertatiſque concordia, quis homini pauperes officio Patrocinij tam arctè contingenti Morum integritatem negauerit?

Nec

Digitized by Google

Nec de huius præconij veritaté poſteritas dubitabit; Querula paupertas eſt, inermeſque Manus cum habeat, iniurias lingua vlciſcitur; Quo circà conſtare veritatem huic titulo credent poſteri, cui, ſi falſus fuiſſet reclamaſſet profectò paupertas, quod ſibi tam ſplendido Mendacio inuentam in tanti viri Patrocinio felicitatem imponerent: At ſi meritum factis ab IVONE præconium hoc, pernegabit incredulum ad huc mortalium genus, inclamabimus illi potentiſſima voce veritatis; IVO inter innumera pauperibus præbita ſubſidia mendicum mendica cum vxore, & quatuor filijs toto vitæ curſu ſuo pauit ære, aſſiduoque contubernio detinuit: Quid quod IVONIS non modo virtutes, ſed & virtutum præmia breuiſſima hac laude continentur? quem enim Pauperum Patronum appellas, eundem Dei Clientem exprimis: Reciprocantur iſta, pauperes Patrocinio defendere, Deique Patrocinio defendi: Hinc plus in IVONEM Deus, quam IVO in egentes contulit:

Per-

Digitized by Google

Permiſſum illi, vt ſpiritus infernos longâ corporum poſſeſſione detraheret; Permiſſum, vt aperientia ſe fluminâ ſiccum iter tranſeunti præberent; facienti ad aras illuminata ſplendoribus facies; recreatuſque animus Cæleſti dulcedine voluptatis: Locuturam plura paupertatem victus rationum pondere populorum conſenſus interpellauit, iuſſitque, vt IVONIS Imagini pro titulo ſcriberetur: Pauperum Patronus: Hìc certè melius, quam de Scipione illo, quem optimum Ciuium Roma iudicauit, Liuij dictum iactari poſſe crediderim: Veram certè victoriam huius rei ſibi quiſque mallet, quam vlla Imperia, honoreſue ſuffragio ſeu Patrum, ſiue Plebis delatos.

LAVS DEO.

Digitized by Google

106
74

Imprimatur, *ſi videbitur Reuerendiſſ. P. Sac. Pal. Apoſt. Magiſt.*

I. de Ang. Arch. Vrb. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſt.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.

Digitized by Google